

Ars loquendi et tacendi

Albertanus Brixiensis

Quoniam in dicendo multi errant, nec est aliquis, qui linguam suam ad plenum valeat domare, beato Jacobo hoc testante, qui dicit: Natura bestiarum et serpentum, volucrum et ceterorum domatur a natura humana; sed linguam nemo domare potest: ideo ego, Albertanus, brevem doctrinam super dicendo atque tacendo, uno versiculo comprehensam, tibi filio meo, Stephano, tradere curavi. Versiculus hic est:

Quis, quid, cui dicas, cur, quomodo, quando, requiras. Verum quia hæc verba, in hoc versiculo comprehensa, ponderosa sunt et generalia, et generalitas parit obscuritatem -- ut Digestis, De Jure Fisci, L. Ita fidei -- ideo illa exponere, ac pro modulo meæ scientiæ, licet non ad plenum, proposui delucidare.

Tu igitur, fili carissime, quum loqui desideras, a temet ipso incipere debes, ad exemplum galli, qui antequam cantet, ter se cum alis percutit in principio. Itaque antequam spiritus ad os tuum verba producat, te ipsum et omnia verba in hoc versiculo posita requiras. Dico tibi, ut non solum quæras a te ipso, sed requiras, id est iterum quæras; nam istud reiterationem denotat, ut dicas requiras, id est iterum quæras. Sicut enim repetere dicitur quis, hoc est iterum petere, ita requirere dicitur quis, id est iterum quærere.

Quis es qui loqueris habet quinque puncta.

Primum punctum. Tu requires in animo tuo, quis es, qui loqui velis: utrum istud dictum ad te pertineat vel non. Si non, illi dicto te immiscere non debes. Sicut enim per leges culpa est immiscere se rei non ad se pertinenti, ut dicit regula juris: ita culpa est loqui istud, quod ad se non pertineat. Unde Salomo in Proverbiis dixit: Sicut qui apprehendit auribus canem, ita qui transit et impatiens commiscetur alterius rixæ. Et Jesus filius Sadrach dixit: De ea re, quæ te non molestat, ne certaveris. Unde quidam:

Quod te non tangit, hoc te nullatenus angit.

Quæ res tibi summo opere notanda est, quoniam si de rebus ad te non pertinentibus minime curaveris, magnam cordis et animi tranquillitatem tibi comparabis; quod egregie dicit metrista quidam:

Pacificat multum de paucis sumere cultum.

Secundum punctum. Requiras te ipsum a te ipso, an aliqua perturbatione animi captus sis, scilicet ira, odio vel invidia, aut sis ab animi passionibus alienus. Nam si turbatus animus tuus fuerit, a loquendo abstinere debebis, et motus animi turbatos cohibebis. Ait enim Tullius: Virtus est cohibere motus animi turbatos, ac appetitus obediens efficere rationi: et ideo tacere debet iratus,

quia, ut ait Seneca:

Iratus nihil nisi criminis loquitur loco.

Quare dixit Catho:

Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Et alius dixit: Lex videt iratum, iratus non videt illam. Et Ovidius:

Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis.

Inde et Tullius dixit: Ira procul absit, cum qua nil recte fieri, nil considerate potest. Quæ in aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, nec ab his, qui adsunt, approbari. Vides ergo quanta mala faciunt in homine passiones istæ, ira, odium, invidia, amore, tristitia, libido. Ait enim Salustius: Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet; quoniam non facile animus verum providet, ubi hæc officiant. Quare animus his passionibus turbatus non verum videt, quia sunt morbi animi ipsum excæcantes; quod egregie testatur Petrus Alfonsius dicens: Natura hoc habet humana, ut, animo quoquo pacto conturbato, in vero falsoque discernendo discretionis careat oculo. Etsi de ira, irato atque iracundo scire volueris, lege in libro, quem composui, De Amore Et Dilectione Dei Et Aliarum Rerum, Et De Forma Vitæ, in titulo De Amicitia Iracundi Hominis Vitanda.

Etiam certe cavere debes, ne voluntas dicendi intantum te moveat atque ad dicendum inducat, quod appetitus tuus rationi non consentiat. Ait enim Salomo: Sicut urbs patens et sine murorum ambitu, ita vir, qui non potest cohibere spiritum suum in loquendo. Inde etiam dici consuevit: Tacere quinescit, loqui nescit. Nam et quidam sapiens interrogatus, cur tantum taceret, an quia stultus esset, respondit: Stultus tacere non potest. Alibi Salomo dixit: Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et impone ori tuo frenos rectos, et attende ne forte labaris in lingua et sit casus tuus insanabilis in morte. Et iterum idem ait: Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Et etiam Catho dixit:

Virtutem primam puta compescere linguam:
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

Tertium punctum. Requiras te ipsum et a te ipso in animo tuo recogites, quis es qui alium reprehendere vis vel aliis dicere vel utrum de simili dicto vel facto valeas reprehendi. Nam dixit beatus Paulus in Epistola ad Romanos: inexcusabilis es, o homo, qui iudicas; nam te ipsum condemnes, si eadem agas, quæ iudicas. Et in eadem epistola subdit: Qui ergo alium doces, te ipsum

non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: Deum in honoras. Et Catho dixit:

Quæ culpæ soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum.

Nam bene dicere et mala operari, nihil aliud est, quam se propria voce damnare, ut Augustinus ait. Et alibi idem Catho ait:

Alterius dictum aut factum ne carpseris unquam,
Exemplo simili ne te derideat alter.

Unde Gregorius ait: Qui bene docet et male vivit, qualiter damnari debet, diu instituit. Priusquam igitur alium culpes, a vitiis similibus innocens esse cures; quod idem Gregorius confirmavit dicens: Qui alium arguit de peccatis, a peccatis debet esse alienus, exemplo Christi, qui mulierem in adulterio deprehensam absolvit, et liberavit a pessimis Judæis, qui accusabant et judicabant peccatricem, quum ipsimet scelerosissimi forent. Terreantur hic iudices fornicarii, adulteri, avari, iniusti, tam spirituales quam seculares, de quibus ait Salomo: Judicium durissimum fiet his qui præsumunt; et sequitur: quoniam potentes potenter tormenta patientur.

Quartum punctum. Requiras a te ipso intra te, quis es qui dicere velis, utrum bene doctus vel indoctus; etiam quod dicere velis bene sapias, alioquin bene dicere non valeres. Nam quidam sapiens interrogatus, quomodo optime posset dicere, respondit: Si tantummodo dixeris quod bene scieris. Et Jesus Sidrach: Si est tibi intellectus, responde proximo tuo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris.

Quintum punctum. Requiras, quis erit effectus tuæ locutionis; nam quædam ab initio videntur bona, quæ malum effectum habent. Quæritur non solum principium; sed etiam finem et effectum requirere debes. Unde Pamphilus dixit:

Principium finemque simul prudentia spectat.
Rerum finis habet crimen et omne decus.
Verbi principium, finem quoque conspice verbi,
Ut possis melius præmeditata loqui.

Si autem verbum, quod dicere velis, dubium appareat, utrum bonum effectum habiturum sit an non, silere debes potius quam dicere.

Nam dixit Petrus Alfonsius, qui fuit optimus philosophus: «Si dicerem tuas, unde pœniteas, semper est melius non, quam sic.» Sapienti enim magis expedit tacere pro se, quam loqui contra se,

quia paucos vel neminem tacendo, multos loquendo circumventos vidimus, quod pulchre voluit quia ait:

Nil tacuisse nocet, nocet esse sæpe locutum.

Verba enim sagittis sunt quasi similia: facile dimittuntur, difficile retrahuntur; quare dici consuevit:

Evolat, emissum semel, irrevocabile verbum.

Hoc vult Aristoteles dicens: Quod semel dictum est, amplius resumere non potest. Ergo in dubiis melius est tacere quam dicere, sicut et in factis dubiis melius est non facere, quam facere, ut ait Tullius dicens: Bene præceperunt, qui vetant agere, quod dubites æquum an iniquum sit. Aequitas enim per se lucet, dubitatio autem significationem continet injuriæ. Et alius dixit: Si quid dubites, ne feceris. Certe omne iudicium, quod dubitatum fuerit, fugito.

Ad intelligentiam et expositionem hujus dictionis Quis multum notari possent; sed ista quinque puncta, superius posita, brevitatis causatibi sufficiant.

Sequitur de quid loqueris.

Prædictis notatis diligenterque cognitis super hac dictione Quis, sequitur videre aliqua, expositionis causa, super hac dictione Quid, et habet decem puncta.

Primum punctum. Require debes in primis, utrum verum vel falsum. Ait enim Jesus Sidrach: Ante omnia opera tua verbum verum præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. Super omnia enim veritas est colenda, quæ sola deo homines proximos facit, quum ipse Deus veritas sit, ipsa hoc testante, quum dixit: Ego sum via, veritas et vita. Si ergo loqui debeas, veritatem omni modo dicas, mendacio doloso penitus fugato. Unde propheta: Os justi meditabitur sapientiam, lingua ejus loquetur iudicium, id est veritatem vel sententiam veram. Unde Salomo in Ecclesiastico: Potius diligendus est fur, quam assiduus in mendacio. Et alius dixit: Acquiesce veritati sive a te prolatae sive tibi oblatae. Et etiam Cassiodorus: «Pessima consuetudo est despiciere veritatem» puram, in qua nihil immisceatur falsitatis, nam ut idem ait: Bonum est verum, si non aliquid immisceatur aversum. Idem intelligo etiam de simplici veritate; ait enim Seneca: Oratio ejus, qui veritati operam dat, incomposita et simplex esse debet. Ita ergo veritatem loqui debes, ut dictum tuum habeat pondus iurandi, et nihil intersit inter tuam simplicem assertionem et ius iurandum. Nam ut ait Seneca: Dictum, quod non habet sine iure iurando pondus, ejus quoque iurandi pondus vile est. Et iterum idem dixit in libro De Forme Honestæ Vitæ: «Nihil tibi intersit, an affirmes, an iures. De religione et fide scias agi, ubicunque de veritate tractatur. Nam etsi iure iurando Deus non invocetur, et invocatus non sit testis, tamen non transeas veritatem, nec iusticiam transsilias legem. Quod si aliquando cogaris uti mendacio, utere non ad falsitatem, sed ad

veri custodiam. Et si contigerit fidelitatem mendacio redimere, non mentieris sed potius excusabis, quia tibi honesta causa est; justus autem secreta non prodit, tacenda enim tacet, loquenda loquitur; atque ita apta illi pax est et secreta tranquillitas.» Veritatem ergo puram dicas et simplicem, et Deum roga, ut verba mendacii longe a te faciat. Nam et Salomo rogavit Deum dicens: «Duo rogavi te, Domine, ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem et verba mendacii longe fac a me; mendicitatem et divitias ne dederis mihi, ne compulsus egestate furer, et perjurem nomen Dei mei.» Et sicut non debes loqui nisi veritatem, ita nec facere. Dixit enim beatus Paulus in Epistola secunda ad Corinthios: «Non enim possumus adversus veritatem loqui, sed pro veritate.» Et talem veritatem dicas, que tibi credatur, alioquin pro mendacio reputatur; sicut e converso vicem veri obtinet, quod falso creditur, et ideo dixi supra: dolosum mendacium penitus fugato. Non est iudicandus mendax, qui dicit falsum, quod putat verum; quia, quantum in ipso est, non fallit, sed ipse fallitur. E contra mentitur, qui dicit esse verum, quod putat falsum. Nec est liber a mendacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur, ut beatus Augustinus dicit. Unde mens contraria verbis mendax est et pestifera, ut testatur Aesopus:

Omne genus pestis superat mens dissona verbis;

qua quidem peste multi laborant dignitatum cupidi, quod præclare dicit Salustius: Ambitio multos mortales falsos fieri coegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere.

Secundum punctum. Tu requiras, quid dicere vis, utrum sit utile, grave et profitabile, aut sit vanum et inane. Verba enim utilia et virtuosa et profitabilia semper dicere debemus, inania vero penitus silere. Ait enim Seneca -- De Forma Honestæ Vitæ: Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut consoletur, aut doceat, aut præcipiat, aut moneat. Et Paulus in Epistola ad Timotheum dixit: Profana et vaniloquia evita.

Tertium punctum. Requiras an dicas, quod rationabile sit, an irrationabile. Rationabilia verba sunt semper dicenda; irrationabilia vero sunt tacenda. Nam quod ratione caret, non potest esse diuturnum. Qui autem rationem secum portat, totum mundum vincit. Unde scriptum est: Si vis vincere totum mundum, te subijce rationi. Ratione enim munienda est adolescentia; et etiam dicit consuevit: Bene adhibita ratio cernit, quid optimum sit, neglecta vero multis implicatur erroribus.

Quartum punctum. Requiras utrum dicas quid asperum vel durum, aut quid molle, dulce vel suave. Dulcia enim verba sunt proferenda, contraria vero tacenda et penitus omittenda. Dixit enim Jesus Sidrach: Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, super utraque autem lingua suavis. Et iterum idem dixit: Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos. Unde et dicit consuevit:

Silva tenet leporem, sapientis lingua leporem.

Et Pamphilus:

Excitat et nutrit facundia nutrit facundia dulcis amorem.

Mollia etiam verba et non dura dicenda sunt. Ait enim Salomo: Mollis sermo frangit iram, sermo quoque durus suscitatur furorem. Hoc idem Tullius præclare dicit: Non facile dictum est, quantum conciliet animos comitas affabilitas sermonis.

Quintum punctum. Requiras an dicas quid pulchrum et honestum, an turpe vel malum; nam pulchra et honesta verba dicenda sunt, turpibus et malis dimissis. Ait enim beatus Paulus in Epistola prima ad Corinthios: Nolite seduci; corrumpunt bonos mores colloquia mala. Et alibi idem dixit in Epistola ad Ephesios: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. Et iterum in eadem epistola subdit: Turpitudine aut stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, non nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Et Seneca dixit -- De Formula Honestæ Vitæ: A verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum imprudentiam nutrit. Et Salomo dixit: Homo assuetus in verbis improprietatis non erudietur cunctis diebus vitæ suæ. Sed semper sermo in gratia sale sit conditus, ait enim beatus Paulus in Epistola ad Colossenses: Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat unicuique respondere.

Sextum punctum. Requiras, ne quid dicas obscurum vel ambiguum; sed dicere debes clarum et apertum. Dicit enim lex: Nihil interest, neget quis aut taceat, an obscure respondeat quantum ad hoc, ut incertum dimittat interrogantem. Scriptum est enim: Satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere. Hinc est, ut nemo sophisticè loqui debeat. Sermo enim sophisticus obscurus est et deceptorius. Ait enim Jesus Sidrach: Qui sophisticè loquitur odibilis est: in omni re defraudabitur; non enim data est illi a Deo gratia.

Septimum punctum. Requiras, ne quid injuriosum vel contumeliosum dicas vel facias. Scriptum est enim: Multis minatur, qui uni facit injuriam. Unde Jesus Sidrach dicit: Omnes injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. Unde Cassiodorus: Injuria unius compago tota concutitur. Et etiam Paulus in Epistola ad Colossenses: Qui enim injuriam facit, accipiet quod iniquum gessit. Et Seneca in Epistolis: Ab alio expecta quod alteri feceris. Et hoc in alio de qualibet injuria et contumelia et maxime de illa quæ fit sub simulatione boni; ait enim Tullius: «Nulla major aut capitalior est injuria quam eorum, qui tunc quum maxime fallunt, id agunt, ut boni viri esse videantur.» Injuriæ namque et contumeliæ tam pessimæ sunt, ut non solum cui libet noceant, sed et etiam civitatibus et regnis, quæ propterea disturbance et mutationes patiuntur. Nam ut ait Jesus Sidrach: «Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, injurias et contumelias.» Et non solum a dicendo vel faciendo alteri injuriam cohibere te debes atque cessare, sed etiam alteri volenti dicere vel facere injuriam obsistere debes, si commode potes. Ait enim Tullius in primo libro De Officiis: «Duo sunt injustitiæ genera: unum eorum, qui inferunt injuriam, alterum eorum, qui ab his, quibus inferuntur, si possunt, non propulsant injuriam; et est tam in vitio qui non obstat injurianti, quam si parentes aut patriam aut amicos deserat.» Si commode possunt dixi, quidem fieri posse dicuntur, quæ commode fieri possunt, ut lex nostra dixit. Si autem alius tibi injuriam dixerit, tacere debes; nam ut ait Augustinus in libro De Summo Bono: Gloriosius tacendo est injuriam fugere, quam respondendo superare.

Octavum punctum. Requiras, ne quid irrisorium dicas neque de amico, neque de inimico,

neque de quolibet alio; scriptum est enim: Amicum ludere nec joco quidem liceat; et iterum: «Bonus amicus læsus gravius irascitur;» inimicus autem propter derisiones de se factas cito ad verba preveniret aut verbera; cuiuslibet autem irrisio de se facta displicet. Irrisio facit, ut amor inter eos minuatur, et secundum regulam amoris: si amor minuatur, cito deficit et raro convalescit.» Et certe propter irrisiones factas cito diceretur tibi, quod nolles audire; nam dixit Salomo: Qui temere manifestat vitia, sua intempestive audiet crimina. Et Martialis dixit:

Deridens alios non inderis abibis.

Et iterum idem:

Si rides alium vel si rideris, utrumque
Culpa est, in aure prius turpe, sequens vero magis.

Requiras, ne quid dolosum dicas neque seditiosum. Dixit enim propheta: Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Et idem præclare quærit: Quid detur aut quid apponatur ad linguam dolosam? Et respondet verbo terribili: «Dabuntur acutæ sagittæ potentis Dei cum carbonibus desolatoriis.» Cavendum tibi summe, ne aliquid seditiosum dixeris; nihil enim perniciosius in civitate, quam seditio: ubi seditio, ibi civium divisio. Sed ut ait Dominus: Omne regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

Nonum punctum. Requiras, ne quid superbum dicas; nam dixit Salomo: «Ubi fuerit superbia, ibi et contumelia; ubi autem humilitas, ibi sapientia» simul cum gloria. Et Job: Si ascenderit usque ad cælos superbia, et capitejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur. Et Jesus Sidrach dixit: Odibilis est coram Deo et hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas. Et iterum: «Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam; et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia.» Et ita clare patet, quod superbia facit hominem odibilem apud omnes, et destruit omnia quæ possidet dona; quod multum egregie testatur quidam dicens:

Si tibi copia, si sapientia formaque detur,
Sola superbia destruit omnia, si comitetur.

Decimum punctum. Denique requiras, ne verbum otiosum dicas; scriptum est namque: De omni otioso verbo reddituri sumus rationem.

Sit itaque verbum tuum efficax, non inane, rationabile, dulce, suave, molle et non durum, pulchrum et non turpe vel malum, et non obscurum, non ambiguum, non sophisticum, non injuriosum nec seditiosum, non irrisorium nec dolosum, non superbum nec otiosum. Hoc denique trado tibi pro regula generali, quod omnia facta, quæ pietatem, caritatem et verecundiam nostram lædunt, et, ut generaliter dicam, quæ contra bonos mores fiunt, nec nos facere posse credendum est, ut lex nostra dicit. Ergo nec ea dicere debemus; ait enim Socrates: Quæ facere turpe,

ea nec dicere honestum puto. Honestaigitur semper dicere debes, non solum inter extraneos, sed etiam intertuos. «Nec enim inhonestis verbis inter suos uti debet, qui honestus inter alios esse desiderat, quum in omni parte vitæ honestas pernecessaria sit.»-- Et certe licet sint infinita exempla super hoc verbo, quæ ad ejusexpositionem et intelligentiam dici possent, sed hæc ad præsens tibi, mi fili, dicta sufficiant.

Cui loquendum sit habet puncta septem.

Habito tractatu super his duabus dictionibus Quis et Quid, accedas ad tractatum super hac dictione Cui Et sunt istius considerationis septem puncta.

Primum punctum. Quum loqui desideras, requiras cui loquaris, utrum amicum vel alteri. Amico loqui bene et certe potes, quia nihil est dulcius, quam habere amicum, cum quo tanquam cum te ipso loquaris. Non tamen talia loquaris, de quibus propalanda et publicanda timeas, si inimicus postea fieret. Ait enim Seneca in Epistolis: Sic loquaris cum amicis tanquam deus audiat, et sic vivas cum hominibus tanquam deus videat. Et alius: Sic habeas amicum, ut non timeas ipsum fieri inimicum. Unde Petrus Alfonsius, propter amicos non probatos: «Provide tibi semel de inimicis, et millesies de amicis; quia forsitan amicus quandoque fiet inimicus, et sic levius poterit perquirere damnum tuum.» Secretum ergo tuum, de quo non vis, ut sciatur, vel non potes habere consilium, quin reveletur, tibi soli habeas, nullique manifestes. Ait enim Jesus Sidrach: Amico et inimico noli enarrare sensum tuum, et, si est delictum tuum, noli denudare. Audiet enim te et respicet te, et quasi defendens peccatum tuum subridebit te. Et alius ait: Quod secretum esse vis, nemini dicas. Et alius: Vix existimes ab uno posse celari secretum. Et alius: Consilium vel secretum tuum absconditum quasi in carcere tuo est reclusum; revelatum vero te in carcere suo tenet ligatum. Quare dixit: Qui consilium suum retinet in corde, sui juris est melius eligere. «Nam tutius est tacere, quam ut taceat alium rogare. Concordat Seneca: Si tibi ipsi non imperasti, ut taceres, quomodo ab alio silentium quæris?» Si autem consilium secretum habere volueris, amicissimo fideli et probato atque secreto illud committas. Suadet enim Salomo: Multi pacifici sunt tibi et consiliarius unus de mille. Et Catho:

Consilium arcanum tacito committe sodali.
Corporis auxilium medico committe fideli.

Inimico autem non multum loquaris, nec secreta tua illi detegas. Hoc pulchre docet, qui ait:

Nec confidatis secreta nec detegatis
Cum quibus egistis pugnae discrimina tristis.

Et alibi idem dixit:

Nulla fides hosti tibi sit qui talia nosti.

Prorsus et hostilis tibi sit persuasio vilis.

Et hoc dico tibi, etiam si cum inimico in gratiam redieris. Scriptum est enim: «Cum inimico nemo tuto in gratiam redit.» Vapor enim odii semper latet in pectore inimici. Unde Seneca: Nunquam, ubi diu fuit ignis, deficit vapor. Quare idem ait: Pro amico potius expedit occidi, quam cum inimico vivere. Unde et Salomo: «Inimico antiquo ne credas in æternum: et si humilis vadat et curvus, non credas illi,» captus enim est utilitate et non amicitia: revertitur voluntate, ut capiat fugiendo, quæ non potuit proseque. Et alibi idem verbum horribile dicit: In oculis tuis illacrimabitur inimicus, et si viderit tempus, non satiabitur sanguine tuo. Et Petrus Alfonsius dixit: «Ne associates te inimicis tuis, quum alios poteris reperire socios; quæ enim mala egeris, notabunt; quæ vero bona fiunt, denigrabunt.» Cum omnibus denique caute loquendum et faciendum est; quia multi creduntur amici, qui re vera sunt inimici. Nam omnes ignotos quasi inimicos suspicandos asserit; ait enim: Non aggrediaris viam cum aliquo, nisi prius eum cognoveris; et si quisquam in via tibi ignotus se associaverit, iterque tuum investigaverit, dic te longius ire quam disposueris. Et si detulerit lanceam, vade a dextris; si ense, vade a sinistris.

Secundum punctum. Requiras, utrum insipienti, an sapienti loquaris. Ait enim Salomo: In auribus insipientium ne loquaris, quia despiciunt doctrinam loquii tui. Et iterum: Vir sapiens si cum stulto contenderit, sive irascatur sive rideat, non inveniet requiem. Et iterum: Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo. Et Jesus Sidrach: Cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam, et in fine narrationis dicit: Quis est hic?

Tertium punctum. Requiras, ne cum irrisore loquaris. Scriptum est enim: Cum irrisore consortium non habeas: loquelæ ejus assiduitatem quasi toxicam fugias. Societas ejus, cui loqueris, est alterna affabilitas. Et Salomo: Noli arguere irrisorem, ne te oderit: argue sapientem, et diliget te. Et Seneca dicit: Qui corripit irrisorem, ipse sibi injuriam infert: qui arguit impium, ipse sibi maculam quærit.

Quartum punctum. Requiras ne cum linguoso vel loquaci colloquium habeas, neque cum cinicis, id est latrantibus et mordacibus. Ait enim propheta: Vir linguosus non diligetur in terra. Et Jesus Sidrach dicit: Terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis est. Et iterum: Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Et alibi idem dicit: Cum viro linguoso ne loquaris, in ignem illius ne sternas ligna. Et alibi idem ait: Nec cum fatuis consilium habeas, non enim possunt diligere, nisi quæ eis placent. Item cum cinicis non multum loquaris; ait enim Tullius: «Ratio cinicorum penitus abjicienda est.» Cinos græce, latine dicitur canis. Inde cinici dicuntur latrantes ut canes, de quibus et similibus dicit Dominus: Nolite projicere margaritas inter porcos.

Quintum punctum. Requiras, ne cum malevolis multum contendas. Ait enim Augustinus: Sicut ignis, quanto magis ligna susceperit, semper in majorem flammam erigitur, ita malus homo, quanto magis rationem audierit, semper in majorem malitiam excitabitur. Unde Salomo: In malevolam animam non intrat sapientia. Quare Catho dixit:

Contra verbosos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Sextum punctum. Requiras, ne de secretis cum ebrioso vel muliere mala loquaris. Dicit enim Salomon: Nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. Et alius: Garrulitas mulierum id solum novit celare, quod nescit.

Septimum punctum. Denique requiras, quibus audientibus aliquid loquaris. Scriptum est enim:

Prospice te circum, si vis proferre sinistrum,
Ne lateat forsitan qui maledicat idem.

Et certe multa exempla ad expositionem et intelligentiam hujus dictionis poni possent; sed ista in praesenti tibi, carissime fili, sufficiant.

Cur loquendum sit,

requirendum est, et sunt quinque observanda. Nunc accedamus ad expositionem hujus adverbii Cur. Et certe istud Cur causam requirit.

Requiras ergo tui dicti causam; nam sicut in factis et faciendis causa est requirenda, dicente Seneca: Cujuscunque facti causam require, et quum initia inveneris, exitus cogitabis, -- ita quoque in dictis causa est requirenda. Et sicut sine causa nil agitur, nec mundus fortuitis casibus implicatur, ut Cassiodorus dixit, ita sine causa nil dicere debes. Et sicut in qualibet re composita quadruplex causa reperitur, scilicet efficiens, materialis, formalis atque finalis, ita et in dictis nostris quadruplex causa quandoque reperitur. Causa materialis continetur sub Quid, formalis sub Quomodo, causa efficiens sub Quis, sed in praesenti loquimur de causa finali, quam causam quaerimus per Cur.

Causa igitur finalis tui dicti sit aut pro Dei servitio, aut pro humano commodo, aut pro utroque, aut forte pro amico, aut pro omnibus praedictis.

a. Pro Dei servitio, ut faciunt praedicatores seculares et spirituales.

b. Pro humano commodo, ut causidici et alii oratores. Nam secundum beatum Augustinum licet advocato vendere justam advocacionem, et jurisperito vendere justum consilium. Et hic, quando dicis verba pro humano commodo, requiras, quod sit commodum et quale. Debet enim esse pulchrum, non turpe, quia secundum leges turpia lucra sunt ab hominibus propulsanda. Quare Seneca dicit: Turpe lucrum vel dispendium fugito. Et alius valde praclare ait: Lucrum cum mala

fama damnum est appellandum. Et alibi scriptum est: Malleperdidisse quam turpiter accepisse. Debet etiam esse commodum moderatum;componitur enim commodum ex cum et modo. Nam, ut aitCassiodorus, «si commodum mensuram æqualitatis excesserit, vim sui nominisnon habet.» Debet etiam esse naturale et quasi commune, id est cum commodonostro et alieno: ait enim lex naturæ; Aequum est, neminem cum alteriusjactura fieri locupletiolem; quod ait Tullius: «Neque timor, neque dolor,neque mors, neque aliud, quod extrinsecus accidere possit, tam est contranaturam, quam ex aliorum incommodo suum augere commodum;» et maxime deexiguitate mendici. Ait enim Cassiodorus: Ultra omnes crudelitates estdivitem velle fieri de exiguitate mendici.

c. Pro utroque autem, id est pro Dei servitio et humano commodo, dicuntverba sacerdotes et clerici: principaliter pro Dei servitio, et secundario pro suo commodo. Vivere enim debet de altari, ut decreta clamant. Et etiamPaulus in Epistola I ad Corinthios, ubi dicit: «Qui altari serviunt, cumaltari participant. Ita et Dominus ordinavit his, qui evangelium denuntiant,de evangelio vivere.» Quidam tamen clerici causam convertunt, quia principaliterfaciunt et dicunt verba pro humano commodo et pro bonis præbendis, etsecundario pro Dei servitio, quod facere non debent.

d. Causa vero dicendi pro amico te movere debet, dum tamen verba sintjusta et honesta. Lex enim amicitiae, secundum Tullium, hæc est, ut nonrogemus res turpes, nec faciamus rogati. Nam, secundum regulam juris, nonest excusatio peccati, si amici causa peccaveris. Amici enim crimina siferas, facis tua; et, quod plus est, bis peccat qui peccato obsequium accommodat.Crimen sibi parat, qui nocentem adjuvat. Nam socius fit culpæ, qui nocentemadjuvat. Et maxime in re turpi duplex est peccatum; ait enim Seneca: Inturpi re peccare bis est delinquere. Innoxie vero amicum defendere debes,ut verus defensor dicaris; ait enim Cassiodorus: Ille proprie defensorest dicendus, qui defendit innoxie.

e. Pro omnibus vero prædictis libentius verba fundas utilia, scilicetpro Dei servitio et humano commodo et amici utilitate.

Et licet multa exempla ad expositionem hujus adverbii Cur dicivaleant, hæc tibi brevitatis causa sufficiant.

Quomodo loquendum sit, sunt quinque modi servandi.

Prædictis auditis et intellectis super hoc adverbio Cur, expositionemet intellectum audias hujus dictionis Quomodo. Et certe istud Quomodoformam et modum requirit. Ergo quum loqueris, modum dicendi requires. Namsicut in rebus modus est servandus, de quo dici consuevit:

Omnibus adde modum, modus est pulcherrima virtus

ultra enim modum et citra modum nihil est rectum, quod multum eleganterdicit Oratius:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum:

et ita in dictis si modus omittatur, nihil laudabile poterit inveniri. Ait enim Cassiodorus:
Modus ubique laudandus est.

Modus itaque tuus sit quintuplex, videlicet in pronuntiatione, in velocitate, in tarditate, in
quantitate et in qualitate.

a. Videndum est ergo, quid sit pronuntiatio. Pronuntiatio est verborum dignitas, rebus et
sensibus accommodata, et corporis moderatio. Hæc enim tantum excellit, ut, secundum sententiam
Marci Tullii, indocta oratio laudem consequatur, si optime feratur: et quamvis expolita sit, si
indecenter dicatur, contemptum irrisionemque mereatur. In pronuntiatione itaque primum exerceri
debet vocis et spiritus moderatio, corporis et linguæ motus. Vitia quoque si qua sint oris, diligenti
cura emendanda sunt, ne verbasint inflata vel anhelata vel in faucibus frendentia, nec vocis
immaniter resonantia, non aspera frendentibus vel hiantibus labiis prolata; sed pressim et æqualiter
vel leniter et clare pronuntiata, ut suis quæque litterarum sonis enuntientur, et unumquodque verbum
legitimo accentu decoretur, nec immoderato clamore vociferetur, nec ostentationis causa frangatur
oratio. Verum pro locis, rebus, causis et temporibus dispensanda est. Nam aliquas simplicitate
narranda, aliqua auctoritate suadenda, alia cum indignatione deprimenda, alia miseratione flectenda,
ita ut vox et oratio semper suæ causæ convenient. Sequitur ergo, ut quæ læta sunt læto vultu
pronuntientur; quæ tristia tristi vultu, quæ crudelia minaci vultu dicenda sunt, quod præclare docet
Oratius dicens:

Tristia læstum vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dicta.

Observandum est etiam, ut sit recta facies, ne labia detorqueantur, nec magnus hiatus, nec
supinus (id est suppressus) vultus, nec dejecti in terram oculi et inclinata cervix, nec elevata aut
depressa supercilia: quia nihil potest placere, quod non doceat, et secundum Tullium: «Caput artis
est dicere quod deceat. Labia lambere vel mordere est deforme, quum etiam indicendis verbis modus
esse debeat; et ore non magis quam labiis loquendum est.» Dicenda quoque sunt submissa leniter,
matura graviter, inflexa moderate. Quum magna dicimus, graviter proferenda sunt; quum autem
parva dicimus, humiliter; quum mediocria, temperate. Nam etiam in parvis causis nihil grande, nihil
sublime dicendum est; sed levi ac pedestri more loquendum est. In causis vero majoribus, ubi de
Deo vel hominum salute referimus, plus magnificentiae et fulgoris est exhibendum. In comparatis
vero causis, ubi nihil agitur, nisi ut auditor delectetur, moderate dicendum est. Sed notandum est
quod, quamvis de magnis rebus quisquam dicat, non tamen semper magnifice dicere debet. «Nam, ut
auctor est Seneca -- De Formula Honestæ Vitæ: Lauda parce, vitupera parcius. Similiter
reprehendenda est nimis laudatio, sicut immoderata vituperatio: illa enim adulatione, hæc
malignitas suspecta est.» In præsentia autem sui aliquis laudari non debet. Scriptum est enim:

Laudare præsentem, nec lædere decet absentem.

b. c. In velocitate et tarditate similiter modum, requiras. Veruntamen aliud in dicendo est, quam in faciendo: non enim debes esse velox ad loquendum, sed tardus cum moderamine competenti. Ait enim beatus Jacobus in Epistolasua: Esto velox ad audiendum, tardus vero ad loquendum, et tardus ad iram. Et Salomo dicit: Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia speranda est magis, quam illius correctio. Et Cassiodorus: Hæc est regalis proculdubio virtus, tardius in verba prorumpere, et celerius necessaria sentire.

Similiter in iudicando tardius esse debes. Scriptum est enim: Optimum iudicem existimo, qui cito intelligit et tarde iudicat. Inde etiam dicit consuevit: «Ad pœnitendum properat qui cito iudicat.» Competens enim mora in talibus non est reprobanda, unde quidam: Mora omnis odio est, sed facit sapientem.

Pariformiter in consiliis requiras tarditatem, et non velocitatem aut festinantiam; in deliberando enim utilia, mora est tutissima. Scriptum est enim de consiliis: Quod diu tractaveris, id puta rectissimum. Velox enim consilium sequitur pœnitentia. Et iterum: Tria sunt contraria consilio: festinantia, ira et cupiditas.

In faciendo autem post deliberationem, velocitatem exercere debes. Ait enim Seneca in Epistolis: Minus dicito quam facias, et diu deliberato, cito facito. Celeritas enim beneficium gratum facit. Hoc pulchre dicit Salustius: Priusquam incipias, consulito, et ubi consulueris mature, factus opus est. Et Salomo: Vidisti hominem velocem in omni opere suo? coram regibus stabit, nec erit inter ignobiles. Et Jesus Sidrach dicit: In omnibus operibus tuis velox esto, et omnis infirmatis non occurret tibi. -- Non tamen tantam velocitatem exerceas, quæ in operibus perfectionem impediat.

d. In quantitate insuper modum requiras non multa dicendo; nam in multiloquio non deest peccatum. Et Salomo in Eccl. dicit: Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia. Et alibi idem: In omni tempore, bono erit abundantia; ubi autem sunt verba plurima, ibi frequenter egestas. Et Seneca: «Nihil æque proderit nisi quiescere, et cum aliis loqui minima, secum multa.» Moderate tamen loqui et tacere debes, dicit enim Pamphilus:

Nec nimium taceas, nec verba superflua dicas.

Audias ergo plurima, respondeas vero pauca. Nam ut ait Socrates: In omnibus placere poteris, si gesseris optima et locutus fueris pauca.

e. In qualitate denique loquendi modum requiras, scilicet dicendo bene. Scriptum est enim: Principium amicitiae est bene loqui, male dicere vero exordium inimicitiarum. Dicenda igitur sunt verba læta, honesta, lucida, simplicia; plano ore, vultu quieto, facie composita, sine immoderato cachinno, clamore nullo proferenda. De quibus Salomo dicit: Favus mellis, composita verba: dulcedo

animæ et sanitas ossium.

Et hæc ad expositionem et intelligentiam hujus dictionis Quomododicta sufficiant.

Quando loquendum et dicendum sit, et quo ordine.

Superest denique videre de intelligentia et expositione hujus adverbii Quando. Certe istud Quando, tempus requirit. Requiras ergo diligenter tempus simul et ordinem.

a. Ait enim Jesus Sidrach: Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem et imprudens non observabit tempus. Servando ergo tempus sequaris verbum Salomonis dicentis: Tempus dicendi, tempus tacendi. Magna enim res est vocis et silentii temperamentum. Unde Seneca dicit: Serva itaque silentium, donec loqui tibi fuerit necessarium. Et non solum tuum silentium serva, sed etiam aliorum expecta. Expectare ergo debes dicendi tempus, donec tibi præbeat auditum. Ait enim Jesus Sidrach: «Ubi non est auditus, non effundat sermonem, et importune noli extolli in sapientia tua.» Importuna enim est narratio tua, quando tibi non præbetur auditus, et est quasi musica in luctu. Nam ut idem ait: Musica in luctu importuna narratio; et qui narrat verbum non attendenti, quasi qui excitat dormientem a gravi somno.

Et non solum in dicendo aliis, sed etiam in respondendo tempus expectare debes. Nam scriptum est: Ne properes respondere, donec finis fuerit interrogationis. Nam ut ait Salomo: Qui prius respondet, antequam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum.

Similiter qui prius loquitur, antequam discat, ad contemptum et irrisionem properat. Unde Jesus Sidrach dicit: Ante iudicium para justitiam, et antequam loquaris, discite singula.

b. Ergo suo loco et tempore dicenda sunt, præpostero ordine penitus omisso. 1. Nam si de prædicatione loqui desideras tempore congruo, prius historiam dicas, quæ docet rem gestam, postea vero allegoriam, quæ docet mysticum sensum ad ecclesiam militantem pertinentem, tertio vero tropologiam, quæ est ad informationem bonorum morum. 2. Si vero de epistolis tractes, primo loco pone salutationem, secundo exordium, tertio narrationem, quarto petitionem et quinto conclusionem. 3. Si autem de contionando in ambaciatis faciendis studeas, primo loco et tempore salutationem dicas, secundo vero commendationem tam illorum, ad quos ambaciata dirigitur, quam sociorum tecum ambaciatam portantium, sive narrationem ejus, quod tibi impositum fuerit. Tertio facies exhortationem dicendo suasoria verba ad consequendum id, quod postulatur, quarto in omni postulatione allegando modum, quo id, quod postulator, fieri valeat. Quinto induces exempla de rebus in similibus negotiis factis et observatis. Sexto denique assignabis sufficientem rationem ad prædicta omnia. Et hoc facias ad exemplum Gabrielis archangeli, qui, quum missus esset a Deo ad beatam virginem Mariam, primo posuit salutationem dicens: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu etc. Secundo confortationem sive exhortationem de Deo: Ne timeas Maria: quam exhortationem præposuit archangelus denuntiationi, et hoc ideo, quia beata Maria turbata fuerat in salutatione archangeli. Tertio vero posuit annuntiationem dicens: Ecce concipies in utero, et paries

filium etc. Quarto posuit modi expressionem, quum dixit: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quinto posuit exemplum, quum dixit: Ecce Elizabeth, cognata tua, pariet filium in senectute sua. Sexto assignavit sufficientem rationem ad prædicta, quum dixit: Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

4. Si autem de legibus et decretis tractare volueris, primo tempore et loco litteram ponas, secundo casum, tertio litteræ expositionem, quarto similia, quinto contraria, sexto solutiones. Et sic de qualibet scientia: quæ ad eam pertineant, secundum præsens, prius et posterius sunt dicenda.

Hæc denique exempla super hoc adverbio Quando tibi ad præsens dicta sufficiant.

Tu autem ex ingenio tibi a Deo præstito multa super hoc et super quolibet verbo hujus versiculi: Quis, quid, etc. pro tuæ voluntatis arbitrio poteris cogitare. Nam sicut in abecedario scripturæ omnes volvuntur, ita super hoc dicto versiculo, quicquid dici vel taceri debet, fere posset inflecti. Hanc igitur doctrinam super loquendo vel tacendo, breviter comprehensam, tibi et aliis tuis fratribus litteratis scribere curavi, quia vita litteratorum potius in loquendo vel in dicendo, quam in faciendo consistit, Seneca hoc testante, qui ait: Stulta est et minime conveniens litterato viro occupatio exercendi lacertos et dilatandi cervicem.

Si autem etiam super faciendo volueris habere doctrinam, detrahatur de hoc versiculo istud verbum, dicas, et in loco illius ponas hoc verbum facias. Unde dicatur;

Quis, quid, cur facias, cui, quomodo, quando requiras.

Et ita fere omnia, quæ dicta sunt supra, et multa alia poterunt ad verbum facias aptari utiliter.

His denique auditis circa prædicta, exercitatione intentissima et frequentius te ipsum exerceas -- nam exercitatio ingenium et naturam sæpe vincit, et usus omnium magistrorum præcepta superat -- ut valeas doctrinam dicendi et faciendi in promptu habere. Deum in super exora, qui mihi donavit prædicta tibi narrare, ut ad æterna gaudia nos faciat pervenire. Amen.

Explicit liber de doctrina loquendi et tacendi ab Albertano, causidico brixiani, ad instructionem suorum filiorum compositus.